

45  
A. U. A.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

# UNITATEM DEI

INDEPENDENTER a PRINCIPIO IN.

DISCERNIBILUM

# DEMONSTRATAM

EXHIBENS,

Quam

*Cum cons. Ampliff. Facult. Philosoph. in Regia  
Academia Aboënsi,*

Sub MODERAMINE

VIRI MAGNIFICI

D<sup>N</sup>. JOHANNIS

BROWALLII,

S. S. Theol. Doct. ac Scient. Nat. Prof. Reg. & ord.

*Pro obtinendis summis in Philosophia honoribus*

DEO V. die XIII. Julii Anni MDCCXLV.

In audit. major. horis pom. solutis.

*Defendere coabitur*

PAUL. KROGIUS P. F.

WIBURGENSIS.

---

ABOË, Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Ac. Typ.

VIR O

*Summe Reverendo atque Celeberrimo*

D<sup>N</sup>. JOHANNI  
WALLENIO,

S. S. Theol. DOCTORI atque PROFESSORI  
Primario, Eccles. Fenn. Aboënsis & Num-  
mensis Pastori.

MÆCENATI MAXIMO.

**I**D cuilibet, qui suis non omnino deesse vult partibus, in-  
cumbit officium, ut nullam prætermittat occasionem,  
qua Patrono, qualicumque modo, gratum declarare possit  
animum. *Qua*, Vir Summe Reverende atq; Celeber-  
rime, semper in me exstare voluisti beneficia, tanta sunt,  
ut, etiamsi omnes exhauriantur facundie vires, iis rite  
depradicandis non sufficiam. Tam enim intensissimum Pa-  
rentis affectum declarant, quam Mæcenatis cum summo  
favore conjunctam auctoritatem arguunt. *Tanta profecto*  
sunt, ut paucis multa comprehendam, quanta solent es-  
se qua sunt maxima. Iple etiam inter cetera studiorum  
meorum exististi Moderator, jam igitur ad Te, iterum  
redeunt mea Musa, ad quem redire merito debent. *Acci-*

pe proinde quos mens juvenilis enixa est factus, Accipe gratissimi animi tesseram. Sed accipe eo, quo me ipsum semper favore excipere haud dedignatus es. Fateor quidem ingenue rudem hanc, ob nimiam, quam vel Ipse nosti, temporis angustiam, tumultuarie elaboratam opellam, neque indicem Tui in me favoris, nec devotissima meae mentis interpretem, agere posse. Quamvis vero omni nitore sit orba, est tamen materia dignitate commendabilis. Exigit pietas, ut qualiscunque demum sit, eam tamen sacratam Tibi velim. Et licet non suppetat mihi, quoties Es quo vellem modo, summam in Te reverentiam declarandi occasio, eandem tamen devotissima, quoad vixero, mente recondam, nec gratus mihi unquam deerit animus. De cetero habeas me Tibi in posterum quoque commendatissimum Meum erit, ad summum rerum Arbitrum, calidissima semper fundere vota, jubeat Te quam diutissime bene feliciterque rem agere, ut habeant ecclesia, litterae, patria, Academia haec, Tuique omnes, de quo in sinu sibi gratulentur.

Summe Reverendi atque Celeberrimi  
Nominis Tui

Humillimus cultor  
PAUL. KROGIUS.



VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo  
Dn Mag. JOHANNI FORTELIO,  
Pastori Helsingforsensium meritissimo, & adjacentis  
districtus Praeposito dignissimo, Fautori & Patrono  
omni observantia colendo.

Quantum Tibi debeam, Vir Admodum Reverende atque  
Praclarissime, nemo rectius judicabit, quam qui rite cogi-  
taverit, quid iuxta primas in disciplina lineas, integra Magi-  
stri fide, probe didicisse, primaque praecepta, quibus ad intimiora  
scientiarum panditur via, animo recte comprehendisse. Tantam  
enim Tuam, in puerili ingenio instituendo atque expolendo,  
expertus sum fidem atque industriam, quantum ipse exoptare  
potui, aliis vero plurimis defuisse intellexi. Hac itaque occa-  
sione mihi oblata, animi obstrictissimi gratissimique pignus Tibi  
dare summum in modum optavi. Enim vero, cum pro Tuis  
in me meritis dignas Tibi gratias, quas habeo habeboque sem-  
per maximas, persolvere nequeam; liceat ea cum, favoris Tui  
recognitione, pio involvere silentio. Hoc tantum, qualecunque  
sit, ingenii specimen Tibi dicatum atque sacratum esse volo.  
Quod si Tibi probari & benigne a Te excipi animadvertero,  
erit id novum mihi benivolentia Tua indicium, Quod super  
est, votis complector ardentissimis: velit DEUS ter. O. M. rebus  
Tuis optime & clementissime favere, quo Tui, Tuorum, Ecclesia  
omniumque bonorum desideria explere immo superare possis.

Admodum Reverendi atque Praclarissimi  
Nominis Tui

Cultor observantissimus

PAUL KROGIUS.



## CAPUT PRIUS.

*Argumenta, pro demonstranda unitate Dei, hactenus allata, breviter recenset, & de indiscernibilium principio pauca disserit.*

### §. I.

**Q**uod nos rationis dictamen, de Summi Numinis existentia evincit, idem ejus quoque unitatem extra omne ponit dubium. Nihilominus tamen minus nullo defuerunt tempore, qui attentæ & exquisitæ attributorum divinarum consideratione neglecta, & extincto plane, quod in iis erat, naturæ lumine, pluralitatem Deorum admiserunt; Atque sic in Summum Deum, sui hujusque universi conditorem, maxime injurii, summa ejus dilacerarunt attributa & inter plures distribuerunt: cultuque, quo dignus solus est, etiam alios sunt persecuti. Quorum ut occurreretur turpissimis figmentis & deliriis, Numinis unitatem hujusque cum reliquis ejus attributis, indissolubili semper conjunctis vinculo, arctissimum nexum demonstrare, nullo non tempore operam dederunt Philosophi saniores. At in conatu hoc maxime laudando, variis variis usi sunt successibus. Quidam æternam hanc stabilire veritatem adgressi, ratiociniis suis vix probabilitatem attingere, nedum ultra eam ascendere valuerunt. Singula vero horum sub examen revoca-

re argumenta, prohibet imperata brevitatis. Sufficiat eorundem tantum potiora verbo indigitalasse.

§. II.

**C**aldworthus unitatem Dei ex eo demonstrare conatur, quod eadem omnium hominum mentibus innatae sint ideae. Licet enim in formandis notionibus derivatis & eliciendis conclusionibus, detur varietas, fundum tamen si spectemus, erit ubique similis, & regulæ quibus peraguntur operationes animæ eadem. Huic alterum simile est, quod ex sensatione in omnibus simili ducunt alii. Utroque causam omnibus communem arguunt. Plato ex natura numeri, qui, utut miris variari possit modis, ex unitate tamen repetita semper oritur, & in eandem dissolutus iterum resolvitur, unitate tamen eadem manente, ad Dei, a quo omnia in universo ortum ducunt, unitatem ascendere conatus, est. Succedat, quod petitur ex intellectu Dei infinito argumentum, quo, cum se duo, si ponantur Dii, mutuo cognoscant, neutrum alterum quidquam posse celare, adeoque neutrum perfectissimum, neutrum Deum esse contendunt. Alii notioni voluntatis perfectissimæ rationes ita superstruunt: Duo pluresve Dii, aut volunt eadem aut diversa: non diversa; perfectissimum uterque tum non vellet; nec eadem, unus in eo casu, quod alter non vult, velle non posset, adeoque non esset liber; unde duos non dari Deos sequeretur. Alii inesse eidem spatio duo entia infinita impossibile putant, quod, si duo ponantur Dii, cum per omnipresentiara ubique deberent adesse, obtineret; atque hinc duos non dari Deos concludunt. Alii ita ratiocinantur: omnipotens omnia potest; hinc si duo fuerint Dii, alter alterum per omnipotentiam destruere posset; quod cum impli-



implicet, unicus saltem erit. Alii duos Deos, stante hypothese, quod uterque perfectissimus sit, diversos esse posse negant, nec vero eosdem, nisi unus alteri suam communicasset naturam, quod cum fieri nequeat, eandem inferunt conclusionem. Alii sua ita concatenant ratiocinia: si ponantur duo entia perfectissima, aut simul sumpta perfectius ens repræsentabunt, aut non; si illud, perfectissimo dabitur perfectius; si hoc, parte non erit majus totum; quod cum utrumque absurdum sit, non nisi unicum ens perfectissimum, unicus Deus erit. Alii hac ratione: si duo fuerint Dii, aut unus sine altero creare potuit, aut non; si illud, alter erit superfluous aut imbecillus; si hoc, ipse fuit imperfectus; quorum utrumque pariter absolum est. Alii tandem, ab independentia entis infiniti unitatem Dei inferunt, quod in sequentibus explicatum accipe.

### §. III.

**R**ecentiores vero philosophi, nulli horum argumentorum, uti a prioris ævi eruditis proponebantur, convictioni sufficientem inesse vim existimantes, suam, in veritate tam necessaria, evidenter, ut nullus plane dubio relinqueretur locus, demonstranda, non desiderari voluerunt operam. Hi, missis antiquiorum rationibus, earumque accuratori examine ac emendatione, alia prorsus inceserunt via. Plurimi ita fere, ut totum nervum paucis exhibeam, suas colligunt rationes: Duo entia perfectissima diversa non dantur, habet enim, ex diversis, unum non omnia quæ habet alterum, adeoque non est perfectissimum; neque duo entia perfectissima eadem esse possunt, repugnat nimirum hoc stabilito indiscernibile principio; Unicum adeoque sit necesse est ens perfectissimum, atque hinc non nisi unicus est

4  
Deus. Mitto quæ a quibusdam circa hæc moveri solent dubia. Hoc me saltem movet, quod suam superstruant demonstrationem, indiscernibilem principio, a Leibnitio primum excogitato, postmodum vero a Wolfio, ejusque affectis fere omnibus, communiter recepto, quo duo absolute inter se eadem, in universa rerum natura, non dari posse, contendunt; sive duo eadem usum reapse idemque esse affirmant. Hæc nondum evicta, aut saltem non concessa Hypothesi, omnis argumenti hujus vis eluditur.

§. IV.

**U**T vero quantum allatæ demonstrationi insit roboris, clarius appareat, paucis dispicere placet, quo laudatum innitatur fundamento principium. Hæc autem communiter ratione illud ejus defensores adstruere solent: si ponantur duo eadem A. & B. nihil est in uno eorum, quod non in altero apprehendatur; nulla itaque datur ratio cur A hoc, B vero alio tempore existere incipiat atque existat: aut si simul existant, nulla dari posset ratio, cur A hoc, B vero alio loco existat; propter identitatem enim, quod uni eorum, idem etiam alteri competit; atque hinc, cum nihil sine ratione esse possit, duo eadem non possunt dari. Nihil esse sine ratione concedo. Nullam vero in hoc casu adesse rationem nego. Ex ignorantia rationis ad ejus defectum, non valet consequentia. Licet nulla detur ratio objectiva, potest tamen adesse subjectiva: quamvis nulla ipsi objecto insit ratio, ejus tamen, ad cetera, relationibus, potest inesse. Si supponantur plura media, quæ respectu ejusdem finis eadem sunt, sive quæ eodem modo fini obtinendo inserviunt, per spontaneitatem, quæ sine causa efficiente externa, me ad hoc illudve determinare possum,

pri.



3  
primum aut ultimum applicare queo. Obtinet hoc ipsum in vita communi sapissime, quod per exempla eundo abunde patet. Sic ex duobus globis aureis iisdem, alterum sumo, qui nimirum primus, facto examine, & deprehensa identitate, se mihi offert; nec unquam fieri potest, ut propter identitatem, neutrum eligere possim, neque vero in minutissimis sive in indiscernibilibus istis, in quibus forte differunt, rationem, cur unum præ altero appetam, delitescere contendas. Ita in calculis etiam; variis modis obtinetur finis, adeo ut perinde omnino sit qua incedatur via; hoc tamen non obstante, aliqua semper ratione, eundem assequimur, & manet tamen salvum sufficientis rationis principium. Idem innumera fere alia evincunt exempla, adeo ut extra omnem sit dubium, licet duo objecta inter se plane eadem sint, dari tamen rationem cur unum præ altero eligatur. Itaque fingitur tantum principio hic sufficientis rationis repugnantia, ubi talis nulla datur. Iisdem finibus eadem subordinanda sunt media; sic in una eademque urbe, eodem modo diactiri tempus, varia postulant rationes; eadem itaque in diversis ejusdem urbis partibus adsint horologia necesse est. Ex quo itidem patet, duo eadem, sive diversis temporibus, sive iisdem temporibus, & diversis locis, existere posse. Si vero dixeris; perfecta in horologiis identitas non datur; licet enim nulla, ob imbecillitatem sensuum, in iis observetur differentia, adesse tamen ea & oculis forte armatis detegi posset. At, utrum ad o absolute eadem actu existant, nec ne, id in medio hic relinquitur. Patet ex dictis, possibile esse, & nullo modo involvere repugnantiam, ut existant; & existere etiam in quibus nulla apparet diversitas; per ipsum autem indiscernibilem principium, diversitas indiscernibilis pro nulla haberi potest.

potest. Si porro quæviseris, cur horologium A hunc locum, B. alium, occupet; aliam allegare nescio rationem, quam quod, cum omnia eadem sint, perinde fuerit, quo quodlibet positum fuerit loco; nisi in aliis externis circumstantiis ea deprehendatur. Valent in his quæ antea attulimus. Nec in quotidianis, a principio rationis sufficientis quæritur, cur ex iis quæ eadem sunt unum alteri præponatur; dicit illud principium, cur hoc, non alio diverso modo, aliquid sit, cur fiat hoc, non aliud ab hoc diversum. Sic si quærat Titius, identitatem globorum Caio exhibitorum ignorans, cur hunc potius elegerit globum Caius, quam alterum, de eorum edoctus identitate, intelligit perinde fuisse quemnam elegerit, nec ulterius quidquam requirit. Contendunt porro, sapientiæ divinæ esse inimicum, ut duo eadem existant; contra vero infinitam, in vastissimo hac rerum compage, varietatem, stupendam summi artificis sapientiam atque potentiam arguere. At in minimis differentia illa a nobis observari non potest; hinc eadem ad illustranda attributa divina nec quidquam confert. Impervestigabiles etiam sunt viæ Jehovæ, & imperferutabilia judicia ejus; ignoramus utrum duobus iisdem opus habeat nec ne; pariter nos fugit ratio, cur unum eorum quæ eadem sunt, altero prius, e statu possibilitatis, in statum actualitatis deducat; hæc vero ignorantia nil nisi defectum nostræ cognitionis arguit, nec ad istius statum, quod ignoramus, impossibilitatem concludere licet. Quod si enim possibilis supponatur finis, ad quem obtinendum, electio alterutrius ex duobus iisdem mediis necessaria esset, inactio certe, in eo casu, imperfectionem, Deo maxime indignam, inferret. Nec a temeritate, multum discedit,

tantam



tantam sibi vindicare scientiam, quasi omnium etiam minutissimorum intimiora possemus perspicere. Rectius hac in re nostram profiteamur ignorantiam, quam aliquid certi sine ratione statuimus. Potius ita argumentamur: novimus, experientia edocti, Mechanicum duas machinas similes, in quantum materiae ab eo pendet dispositio, construere posse; cum vero minimarum particularum dispositio, ejus non sit, hinc nec omnimodam in omnibus identitatem assequi valet: Multo vero magis, universi conditor, a quo minima cum maximis, & in essendo & fiendo, dependent, identitatem omnimodam, tam in minimis quam in maximis, efficere potest; nisi quis, aut minimarum materiae particularum coordinationem a Deo independentem fingat, aut ejus potentiam infra artem humanam constituat; quod absurdum pariterque in summum Numen maxime iniquum est. Vide itaque, ne principium identitatis hoc defendens, impietatis & stultae audaciae notam incurras. At plures a nostra parte prostant rationes. Pone jam duo entia A & B eadem; utrumque, quatenus entia sunt, sigillatim spectatum, est possibile; si vero simul spectentur, in impossibile alterum abire putas; siue posita unius existentia, alterius tolli existentiam contendis: cum vero A & B eadem sint, A majorem vim ad destruendum B, quam B, ad destruendum A, non habet, adeoque alterum, per se, alterum destruere non valet; hinc si alterutrum existat, non repugnat alterum quoque existere, seu ut existat utrumque. Vel si hoc modo volueris ratiocinari: Essentia *vs* A, dum A existere incipit, ita ei non communicatur, ut possibilitas illa in impossibilitatem degeneret, seu *vs* A typus & veluti imago in intellectu divi-



no existens, re ad existentiam deducta, non evanescit<sup>175</sup> sed invariata manet; nil itaque impedit, quo minus ad eundem typum plura producantur, seu plura entia ejusdem essentiae prodeant. Accipe vero aliud adhuc argumentum: species omnium consensu est similitudo individuorum intrinseca, sive identitas essentialium & eorum quæ ex essentia necessario sequuntur: insunt itaque singulis, sub eadem specie comprehensis, individuis, eadem intrinseca; adeoque plura inter se eadem existere posse patet. Nec intrinsecorum possibilitas in accidentium diversa determinatione quærenda est: sub quibus enim determinationibus, unum ex iisdem existere potest, sub iisdem alterum quoque existere nihil implicat: per se & sua natura existunt atque existere possunt, si ve accedant determinationes eadem sive diversæ. Sic variationes in plantis seu vegetabilibus, quatenus variationes, ad possibilitatem existentiae eorundem intrinsecorum, nil conducunt. Quid quod plurima, in rerum natura, existant corpora, quæ, qualibet adhibita perspicacia & accuratatione perfecte sibi invicem similia deprehendantur, E. c. radii luminis ejusdem coloris, particulae aereæ, phlogiston, vapores ex mercurio, particulae aquæ puræ, ut innumera alia taceam. Et profecto, si in particulis corporum, quæ homogenea esse debent, diversitas existeret, illud eatenus non perfectionis, sed imperfectionis argumentum esset. Hinc igitur corpora homogenea ex iisdem elementis composita esse nemo dubitabit, qui series ordinum particularum, attente consideraverit; quales, E. g. In sanguine humano, & chalybe deprehensæ sunt. Sed nec contemnendæ sunt demonstrationes, quibus Physici, diversa corpora, ex elementis iisdem componi posse evincunt.

vincunt. In minimis supposita minima diversitas, maximam in compositis ex pluribus ordinibus particularum producet diversitatem, nec ulla, sub hac hypothese, corporum homogeneorum collegia possibilea forent. Et satis sic evictum putamus, duo absolute eadem nullam involvere repugnantiam. Minime vero ideo statim indiscernibilia sunt. Possunt salva identitate differre tempore, loco, numero, sine & relationibus quibuscunque. Nec quidquam hic valet quorundam ratiocinandi modus, quo duo vel plura eadem unum esse idemque demonstrare sibi videntur. Multoque minus nos moratur, totalis fere illa mutatio, quam sibi, ex diversitate temporis, numeri, & loci, in ente oriundam imaginatur Celeberr. Canzius; possunt duo globi iidem esse, & quæ ipsis insunt eadem manere, licet differant numero & relationes eorum perpetuo varientur.

§. V.

**S**ublato sic hypotheseos indiscernibilium fundamento, ei innixam demonstrationem per se corruere patet. Non nego unitatem DEI demonstraturo incumbere, ut duo entia perfectissima eadem non dari ostendat; hoc vero absque identitatis ita dicto principio evincitur. Impossibile nimirum esse potest, duo entia perfectissima eadem dari, licet entia finita mille eadem esse non repugnet. Nec opus est, ad demonstrandam entis perfectissimi unitatem, entium finitorum omnium unitatem quandam fingere. Peccarunt hoc in momento viri, quorum nominis gloriam immortalitati jam dudum commendaverunt summa eorum in rem literariam merita. Hi, præter rationem hanc fingentes hypothesein, atque ex ea veritatem maxime necessariam rigidissime demonstraturi, incertis, eam admodum pelagi flu.

fluctibus committunt. Imprimis vero ridiculum est, non  
 nullos, ut hanc suam commendarent hypothefin, ma-  
 joremque eidem conciliarent probabilitatem, eo auda-  
 ciae fuisse progresfos, ut impossibile plane praedicent  
 demonstrationem unitatis DEI, ea nondum admissa.  
 Hac cum ita sint nullum utilius, nullum dignius  
 praestantiusque judicavimus argumentum, in quo nostras  
 experiamur vires. Constituimus vero ex attributis di-  
 vinis, quae, demonstrata primum DEI existentia, sua se  
 sponte nobis offerunt, ejus unitatem inferre. Hoc qui-  
 dem supra nostram tenuitatem ponit ipsius rei difficul-  
 tas & sublimitas, audaciae tamen veniam rogamus, mitio-  
 remque nobis, tanto majori jure, pollicemur censuram  
 quo id certius cuique constare intelligitur, facillimum  
 esse in devia abduci juvenile ingenium, in difficiliori-  
 bus istis, quae viris, illustri fama per orbem literarium  
 notissimis, molestias non minimas facessere potuerunt,  
 praesertim, cum ea temporis fuerit injuria, ut non mul-  
 tos huic labori impendere licuerit dies. Sufficiat nobis,  
 si perspicacioribus tantum occasionem suppeditare po-  
 tuerimus veritatem ulterius investigandi; nec plura a  
 nobis expectes rogamus, ne ingrato sensu te spe delu-  
 sum experiaris. Neque vero scrupulosiores, demonstra-  
 tionem hanc supervacaneam omnino contendentes, quid-  
 quam curamus. Potius nobis gratulamur de felicitate  
 Christiani Philosophi, qui infallibilibus summi Numinis  
 de se ipso testimoniis, tuto inniti potest, & ita quidem,  
 ut suam in majori certitudine veritatem collocare  
 nunquam queat. Jucundissimum tamen est, uti omni-  
 um, qui suam in unico summo principio agnoscunt  
 originem, amicissimum nexum, ita & rationis cum  
 revelatione optimam harmoniam intueri. Præterea et-  
 iam



iam contra adversarios, qui revelationem negant, veritatibus rationis, a concessis ex utraque parte principii, deductis, sæpius pugnare necesse habemus.

## CAPUT POSTERIUS.

*Demonstrationem Unitatis DEI, ex ipsis attributis Divinis, vel genuina DEI notione, eruit.*

### §. I.

**E***ns mutabile est, quod aliter quam est esse potest. Immutabile vero quod aliter quam est esse non potest; atque proinde sub iisdem determinationibus semper est.*

### §. II.

**E***ns cui non existentia non repugnat, seu, quod vel existere vel non existere potest, Contingens dicitur. Contra vero quod non potest non esse, seu quod absolute necessario existit, h. e. ita, ut oppositum ejus in se & sua natura contradictionem involvat, Necessarium audit.*

### §. III.

**E***ns necessarium sui in se continet rationem: & contra quod sui in se continet rationem id necessarium est. Si ratio Entis necessarii ipsi enti non inest, erit in altero; adeoque sub hypothese dabitur Ens absolute necessarium, quod aliud supponeret, in quo sui agnosceret rationem &, quo deficiente, posset etiam non esse, ac proinde foret contingens §. 2. quod tum sit absurdum; Ens necessarium in se ipso, non in alio extra se sui habet rationem.*

Pari modo : quod in se continet rationem suæ existentia, eandem in essentia habet ; quæ vero suam in essentia habent rationem attributa sunt ; existentia itaque entis, quæ in ipso ente sive ejus essentia fundatur, in attributorum numero collocanda est ; quæ cum necessaria fiat ( per princ. metaph. ) existentia entis, cujus ratio in ipso ente continetur, necessaria est ; hoc est : ens quod sui in se continet rationem est necessarium.

*Eus a se dicitur, quatenus existentia suæ sufficientem in se ipso habet rationem ; Independens vero, quatenus nullo alio ad existendum indiget. Colligitur hinc: ens necessarium esse ens a se atque independens.*

#### § IV.

**E***ns necessarium est immutabile & unico tantum modo determinabile.* Ens enim necessarium, quia absoluta necessitate existit, ea quæ ei insunt non possunt non esse §. 2. adeoque neque aliter esse possunt. Est itaque ens necessarium immutabile §. 1. & cum hoc sub iisdem semper existat determinationibus ( § cit. ) erit etiam unico modo determinabile.

Ens itaque necessarium neque oriri nec interire potest ; utrumque enim summam infert mutationem & necessitati absolutæ repugnat : & hinc intelligitur cur etiam *æternum* dicatur ens quod necessarium est.

Ens necessarium, cum sui in se contineat rationem, & simul immutabile sit, modos & accidentia admittere nequit.

#### § V.

**E***ns contingens neque in se ipso, neque in aliis sua serie ; entibus, existentia suam rationem habet.* Pone enim ens  
contin-

contingens suæ in se existentia continere rationem; & necessarium erit. §. 3. erit vero simul contingens, per hypothesein; quod cum contradictionem involvat, ens contingens suæ non in se existentia continet rationem; Vel si hoc modo argumentari volueris; contingens etiam non existere potest; §. 2. si jam in se contineret rationem suæ existentia, cum causa prior sit causato, existere deberet antequam existit; quod cum iterum implicet, manifesto asserti patet veritas.

Pone vero ens istud contingens A suæ existentia rationem in alio quod B voco habere. B illud, quatenus contingens, eandem habebit in C & porro C in alio D & sic in infinitum (p. cal. l.); cum nimirum omnia contingentia sint, suæ non sufficiunt existentia, adeoque nec in se alterius radicalem & sufficientem rationem continere possunt; si itaque totam percurramus contingentium seriem, nunquam fisci posset quaestio, cur ens illud sit, nunquam ad ejus sufficientem perveniremus rationem; adeoque ens contingens suæ existentia rationem in serie sua non deprehendet.

Et hinc est, quod negent Philosophi progressum in infinitum, tam rectilineum quam circulare, rationi alicujus rei reddenda sufficere.

#### §. VI.

**O**Mnia quæ in universo existunt mutabilia sunt, adeoque non necessaria §. 4. hoc est contingentia §. 4. consequenter rationem suæ existentia neque in se nec aliis ejusdem seriei entibus deprehendunt. §. 5. cum vero nihil sine ratione esse possit, necessum est, existat ens quoddam *primitivum necessarium*, quod eorum in se contineat rationem. Ens vero illud Majestatico DEI nomine veneramus; *existit* itaque DEUS.

Per



Perducit nos sic & propria conscientia & contem-  
platio hujus unversi ad agnoscendum Summi Numinis  
existentiam. Hinc eandem, ex principiis rationis, va-  
riis demonstrare modis semper allaborarunt Philotophi.  
Ea præterea hujus propositionis *DEUS existit* est eviden-  
tia, ut quam primum subeant mentem notiones, quæ  
subjecto & prædicato substant, statim ad eas conjungen-  
das sese inclinari sentiat quisque. Interim tamen exi-  
stentiam entis, cujus unitatem demonstraturi sumus,  
rationes ubique obvias fundamentales colligendo, evin-  
cere, haud a re alienum indicavimus; ut ad oculum  
pateat τὸ ὄντων τῶ Θεῷ Φασιγγν esse in hominibus. Et, quæ  
ratione, qualicunqve summi Numinis imbuti notione,  
& de ejus ita convicti existentia, ulterius τὸ ἀόρατον  
ἀύτῳ, invisibilia ipsius, infinitas, quæ ei insunt, perfectio-  
nes, ejusque Divina attributa, operibus ejus intellecta  
perspicere possimus; atque ex iis porro, pro ratione  
præsentis instituti, ejus unitatem evidenter adstruere.

§. VII.

**E**Ns necessarium tale est, ut omnia quæ ei insunt  
non possint non esse; (§. 1.) est etiam immutabi-  
le, (§. 4.) ut nihil ei addi, nec demi quidquam pos-  
sit; stante nimirum thesi, quod aliter quam est esse  
non possit. §. 1. quod itaque necessarium est, omnem  
respuit *successionem*, per quam uno transeunte alterum  
redit; omnem deinde *limitem*, qui defectum realitatis quæ  
adesse posset arguit, omnes denique *gradus*, qui in-  
tensionem vel defectum ejusdem realitatis inferunt:  
quodlibet quippe horum contingentiam & mutationem  
inducit. Cum vero jam nullo pacto majus vel minus  
admittat eas, quod necessarium est, omnia quæ habe-

re potest, actu simul & absolute cum universa sua omnitudine habet; hoc est, *Ens necessarium est infinitum.* *Infinitum* nimirum nobis est, quod omnes possidet realitates sive perfectiones cum omnitudine, h. e. sine successione, gradibus atque limitibus.

## §. VIII.

**P**osito ente infinito, ponenda etiam ejus est essentia infinita, in qua cum fundentur attributa, Enti infinito non nisi infinita competunt attributa. Nihil ei, neque qua numerum nec quantitatem realitatum deesse potest, §. 7. adeoque eo perfectius quidquam concipi nequit; Est itaque *ens infinitum quoque perfectissimum*; & quidem, non in suo genere, sed in omni relatione tale.

## §. IX.

**Q**uemadmodum ens necessarium ob infinitudinem suam §. 7. etiam perfectissimum est, §. 8. ita quoque *ens perfectissimum*, cui nulla deesse potest realitas, *necessarium esse* colligitur. Dicenda itaque sunt de ente perfectissimo, quæ in præcedentibus de necessario sunt stabilita.

## §. X.

**P**ossibilitas entis infiniti seu perfectissimi, ex jam dictis luce meridiana clarius elucet. Evidens nimirum est existere ens *primitivum* idque *necessarium* §. 6. est illud quoque immutabile §. 4. atque omnes cum omnitudine continet perfectiones, & ita quidem, ut aliter illud esse plane sit impossibile; (. 7. ) cum actu jam tale existat, possibilitas ejus, in dubium vocari nequit; nec perfectiones, qua tales, sibi invicem contrariæ esse possunt. Vide, si placuerit, Cantz. usum phil. in Th. I. Carpov, Theol. Nat. cap. 1. §. 8. 13.

## §. XI.

**C**um Deus sit ens *primitivum necessarium* §. 6. erit etiam *Ens a se atque independens* §. 3. omniaque de ente necessario demonstrata de Deo quoque valebunt. Hinc Deus *immutabilis* est, *æternus*, nullos admittit modos nullaque *accidentia* §. 4. omnem respuit *successionem*, omnem *limitem*, omnesque *gradus*; omnia cum *omnitudine* habet, estque *infinite* §. 7. *perfectissimus* & quidem in omni relatione talis §. 9.

## §. XII.

**S**equitur jam hinc *Supremi Numinis definitio*, nimirum, quod sit ens *infinite* sive *perfectissimum*, absolute tale §. 11. Deus *omnis realitatis fons*, *exemplar* atque *causa* est, nec ulla concipi potest *realitas* in Deo, tamquam *Ente originario*, non *existens*; illam enim in *nihilo* radicatum esse foret *figendum*; quo ipso ejus *negaretur* *realitas*. Atque sic quidem a *dependentibus* ad *independens*, a *contingentibus* ad *necessarium*, a *mutabilibus* ad *immutabile* & *æternum*, a *limitatis* ad *illimitatum*, a *defectibus* ad *meras realitates*, a quibuslibet *perfectionibus* ad *summas*, a qualicunque *harmonia* ad *absolutam*, a *possibilibus* ad *possibile primum*, quod sui *omniumque* & *possibilitatem* & *actualitatem*, includit, *rationes* colligendo *ascendere* licet. Ex hisce jam *prælibatis*, plurimæ, quas in Deo *veneramur* *perfectiones* & quas *singulatiim* ei *tribuendas* *novimus*, *facillimo* *deduci* *possunt* *negotio*; sic *simplicitas*, *spiritualitas*, *incorruptibilitas*, *immortalitas*, *duratio* *immemsurabilis*, *omniscientia*, *voluntas* *perfectissima*, *libertas* *absoluta* *nullo* *modo* *impedita*, *sapientia*, *bonitas*, *justitia*, *sanctitas*, *omnipotentia* *summa*, *omnipræ-*  
sen-



sentia, immensurabilitas, & plura attributa; eaque omnia infinita § 8. ex hisce prono quasi alveo fluunt. Nostri vero instituti non fert ratio hæc omnia sigillatim evolvere: sufficiat nobis ea tradidisse, quæ, ad illud Divinitatis attributum, quo unus est Deus, infinitarum perfectionum & gloriæ absolutæ majesticato splendore solus coruscans, rite intelligendum & demonstrandum spectant.

§. XIII.

**C**ompositum est, quod ex partibus, seu pluribus realiter diversis, inter se certo modo combinatis constat. Simplex vero quod partium compositione caret.

§. XIV.

**E**ns perfectissimum est ens simplex. Quod absolute est necessarium non sub ulla hypothese existit, neque id oriri nec interire nec mutari potest § 4. cum vero compositum tantum sub hypthesi partium earumque combinationis existat, idemque combinatis partibus oriri, iisdemque dissolutis interire & pro vario etiam combinandi modo diversimode determinari possit, necessarium compositum esse nullo modo potest, & hinc ens perfectissimum, quod & necessarium §. 9. compositum esse nequit, adeoque simplex est. § 13.

Sequitur hinc, cum Deus sit ens perfectissimum §. 12., eum etiam simplicem esse. Non itaque ex partibus quibusdam materiæ efficientibus, neque ex pluribus entibus sive substantiis diversis, in se simplicibus, constat. Non ex partibus essentialibus, sive essentiam constitutentibus, neque integralibus, non quidem essentiam sed integritatem ejus, ut nimirum in eo nihil desit, ingredientibus, neque materia & forma, quæ in utrisque locum habent, compositus est; hoc est: in sensu physico simplex est.

C

Nec

Nec aliæ in *sensu latiori sive metaphysico* ita dictæ compositionis species in eum cadunt. Non enim compositus est ex subjecto & modis sive accidentibus; nec ex modis pluribus § 11. 4. nec ex essentia & existentia, quasi hæc ab illa separabilis, seu illa sine hac possibilis esset, vel essentiæ, quæ sine existentia esse poterat, superaddita esset existentia; cum per se existat & essentia existentiam necessario involvat. §. 11. 3. nec ex existentia & subsistentia, quasi illa sine hac esse potuisset, per quam vero, tamquam substantia singularis completa & incommunicabilis, existeret; nec ex actu & potentia, quasi possibilitatem, ulterioris quam quæ actu ei jam inest perfectionis, recipiendæ haberet, cum perfectissimus sit. §. 11; nec ex vi atque actu sive operatione, qua de re plura in sequentibus; neque ex notionem specifica & differentia numerica; unicus enim est quod mox evictum dabimus.

Cum ergo nulla plane in Deo realiter differentia, hæc quorum unum ab altero possit separari, concipienda sint, est ab omni compositione reali alienissimus, omnique respectu simpl. x, hoc est, *simplicissimus*. Logica autem seu formalis attributorum divinorum differentia, qua essentiam & attributa divina, diversis ideis & conceptibus, nobis sistimus, & singula quæ ei insunt, seorsim & sigillatim nobis repræsentamus, ex imbecillitate intellectus humani ortum ducit; is enim luis, ac quam arctis inclusus cancellis! finitus est & infinitudinis nullo modo capax; hinc, dum pro nostro concipiendi modo, Supremum contemplamur Numen, omnia uno obtutu comprehendere nequimus; ideoque inter se non diversa, diversis animi operationibus, consideramus. Ex *supplicitate* hac, attributorum divinos

19  
rum resultat inseparabilitas; nullum enim sine ceteris esse potest; quodlibet nempe attributum omnia reliqua infert; quod etiam ita potest evinci: attributum rationem sui in essentia habet, essentiam itaque supponit; essentia vero divina, ut radix & fons omnium attributorum divinarum, involvit omnia attributa; quodlibet ergo attributum divinum omnia reliqua infert; vel posito uno omnia ponuntur. Hinc etiam recte dicitur, omne, quod Deo inest, est ipse Deus.

§. XV.

**I**nseparabilitas eorum, per quæ ens est quod est, unitatem metaphysicam sive transcendentalem constituit. Quodlibet itaque ens, quatenus ea, per quæ in hoc vel illo esse suo determinatum, salvo ente, inseparabilia sunt, unum dicitur. DEUS vero cum nullos admittat modos nullaque accidentia §. II. & præterea simplicissimus sit, ab omni compositionis & divisionis genere alienissimus, §. 14. nulla prorsus in eo, quæ separari a se invicem possint, deprehendere licet; est itaque hinc per eminentiam & omni respectu, vel ut loqui amant Philosophi, exclusive, absolute & necessario *Unus, & essentia divina* seu complexus & omnitudo omnium perfectionum semper *Una* manet.

§. XVI.

**E**ns infinitum sive perfectissimum habet vim infinitam, eamque semper in actu secundo sive operantem. Quod in se continet rationem alicujus actualitatis id vi agendi gaudet; sed ens infinitum actualitatis omnium existentium in se continet rationem, §. 6 7. adeoque etiam vi agendi gaudet. Sive; quod proprie actionem producit, vel principium actionis intrinsecum est realitas; adeoque eodem, ens perfectissimum, omnes possidens reali-



tates, §. 7. §. destitui nequit; illud vero, cum vis activæ nomine veniat, ens perfectissimum vi activa pollet. Cum vero omne quod enti perfectissimo sive infinito inest, infinitum esse debeat §. 8. vis hæc infinita quovque sit oportet. Porro, cum in ente infinito nulla locum habeat successio, a vi in actu primo ad ipsum actum, sive a non operatione ad operationem, transitus non datur, nec ob independentiam entis infiniti §. 9. adstructam, ullum vi ejus impedimentum objici potest; nullo vero obstante impedimento, vim quatenus actionis principium, semper sequitur actio; cum posita ratione, ponendum sit quod per eam est. (per princ. metaph.) vis itaque agendi entis infiniti, nunquam in sola vi persistit, sed actu semper se exerit. Est itaque ens perfectissimum sive infinitum vi infinita & semper operante præditum.

Cave vero ne his ad DEUM translatis, mundum ab æterno existisse concludas. Peracta a DEO fuit in principio temporis creatio; hoc ipso tamen, nihil iis quæ ei inerant ab æterno, nil operationibus ejus æternis accessit, (cum in DEO nulla detur successio, sed omnia simul sint) nisi mera relatio, quod nimirum existere cœperint, quæ adhuc nondum existerant.

#### §. XVII.

**E**adem absolute sunt, quæ sibi invicem, salvo quovunque prædicato, quod alterutri inest, substitui possunt. Seu quorum unum omnia ea continet, quæ alteri inest, & quæ qualitatem & quantitatem, *Diversa* vero sunt, quæ sibi invicem salvis omnibus, quæ uni eorum inest, substitui non possunt; seu quorum unum omnia non habet quæ alterum.

#### §. XVIII.

## §. XVIII.

**D**uo vel plura entia absolute perfectissima inter se tamen diversa non dantur. Si fuerint duo entia inter se diversa, tum ob diversitatem istam unum alteri non potest substitui, salvis omnibus §. 17, adeoque alterum altero plures vel gradu majores continet perfectiones. Quod vero alteri perfectionibus cedit, id absolutam perfectionum omnitudinem non habet, adeoque perfectissimum non est. Utrumque itaque eorum, quæ diversa sunt, perfectissimum esse nequit, sive, duo diversa perfectissima non dantur.

Aliter: ens necessarium non nisi unico modo determinari potest, §. 4, adeoque diversum ab alio necessario esse nequit; ens vero perfectissimum est necessarium, §. 9, ergo illud etiam unico saltem modo determinabile est, & ab altero perfectissimo diversum esse non potest. Duo itaque entia perfectissima diversa non dantur. Eodem modo etiam evincitur, plura entia perfectissima diversa non dari.

## §. XIX.

**N**ec dantur duo vel plura entia perfectissima eadem. Sint duo entia, quæ A & B voco, eadem atque simul perfectissima. Ob identitatem, omnia, quæ uni eorum insunt, etiam alteri inesse debent; §. 17, hinc A & B eandem etiam sive æquales habebunt vires. Cum vero præterea perfectissima sint, vires utriusque erunt infinitæ & in actu secundo semper se exerentes, §. 16. Atque sic viribus suis nulla ex parte limitatis §. 7. 8. in omnia objecta agent simul. Agit vero quodlibet vel in contrariam partem alteri, vel amicissime inter se consentiunt & ad eundem effectum producendum conspiciunt. Non vero agunt in contrarium; tum enim non essent

essent quo ad omnia & absolute eadem, quo ipso tollitur hypothesis & absoluta utriusque perfectio §. 18. Neque, cum vires utriusque sint æquales, atque vis æqualis vim æqualem destruere possit, ullus sequeretur effectus, foretque sic infinitum effectui cuidam producendo impar, adeoque maxime limitatum; quod quam sit absurdum & notioni entis infiniti sive perfectissimi repugnans, quisque videt, &, quæ de ente, infinito §. 7. & 8. dicta sunt, ad oculum monstrant. Neque vero inter se consentire & ad eundem effectum producendum concurrere possunt. Quamvis enim vires habeant plane eadem A & B, numero tamen a se diversæ ponuntur; adsit itaque necesse est limes sive terminus in quo desinat utriusque vis, sive in quo tamquam centrali operis puncto colliment viribus suis A & B, æque simul & semper operantes; deest vero omne ejusmodi distinctionis fundamentum, ex quo quid cuilibet tribuendum sit intelligi possit; Quum nimirum infinitum utrumque sit, ex assumpta hypothesis, neutrum limitem ullo respectu admittit §. 7. Et cum utriusque vis infinita, nullo modo in actu primo, neque in termino quodam, persistere possit, A semper operans, & vi sua infinita omnia perficiens ~~et~~ B locum concedere nequit, ita etiam B nunquam quiescens, A semper excludit, ipsum potentia suæ infinitæ ambitu omnia involvens. Cum vero id, cujus vis excluditur perfectissimum esse nequeat §. 16. patet nulla ratione duobus entibus perfectissimis locum dari posse.

Addam adhuc demonstrationē, quæ recentioribus admodū placet, judicium tamen lectori relinquens. Si fuerint A & B entia perfectissima absolute eadem, solo tantum numero differentia, ratio cur has contineat perfectiones Ens A  
illas



illas vero B, non est in ipsis entibus quia absolute inter se eadem sunt: Neque ulla allegari potest ratio externa; utrumque quippe independens & a se ipso est. §. 3. 9. Cum vero nihil sine ratione possit esse, neque eadem duo vel plura entia perfectissima esse poterint. Fundamentum suum agnoscit hoc argumentum in principio rationis sufficientis, non vero supponitur principium illud inditecumbilium. Ex eo enim, quod nulla detur ratio, inferitur conclusio, non vero exinde, quod nulla dentur eadem, heic neque entia perfectissima eadem dari concluditur. Entia finita duo vel plura dari nullam infert repugnantiam; licet enim in ipsis ratio cur quodlibet quod habet contineat, potius quam alterum, non inveniretur, posset tamen ea in ente quodam ab iis diverso, a quo dependent, deprehendi. Præterea, si unum ens finitum ad obtinendum finem creatoris non sufficiat, necessum est, ut plura eadem producta sint. Neutrum vero horum in ente perfectissimo locum habet. §. 8. 9

Dem onstrationē, quæ ab independentia entis perfectissimi desumi solet, ita paulo plenius atque distinctus propono: Ponantur A & B eadem & sit ut perfectissima; ab alio tertio non dependent, omnem enim dependentiam in omni, entis perfectissimi excludit. §. 9. nec salva hypothesis, quod perfectissima sint, dependentia esse possunt. Nec A in B & vicissim B in A ut existentia rationem agnoscit; utrumque etiam tum ab altero foret dependens, quod iterum, cum perfectissima sint, contradictorium est. §. 9. Nec utrumque independens est, ut scilicet quodlibet, propria vi, per suam essentiam existat, adeoque altero ad sui existentiam non indigeat. Neutrum tum foret perfectissimum, cum utrumque aliud extra se independens

dens propriaque virtute existens agnoscat; in utrumque eo ipso cadit limitatio & perfectius illud concipitur ens, quod ipsum omnium in universum est principium, omniumque in se continet rationem; nec, cum  $\tau\beta$  A perfectio sit, sui in se continere rationem, negari potest ad perfectionem ejusdem pertinere, ut  $\tau\beta$  B in se rationem involvat. Si vero porro contendis ens perfectissimum A, si id quod ei jam antea inest, iterum addatur perfectius non evadere, atque hinc, si ratio existentiae  $\tau\beta$  B ei addatur, non inde evadere perfectius, cum ea antea ei insit & illud omnia ea habeat quod habet alterum, ob absolutam identitatem in hypotesi positam, adeoque per eadem quae in A ipsius existentiam efficiunt, etiam existere B, & vice versa, iisdem in B quibus ipsius existentia fundatur, etiam fundari existentiam  $\tau\beta$  A, hoc est A sufficientem suae ipsius & pariter  $\tau\beta$  B, & vicissim B sufficientem suae pariterque  $\tau\beta$  A existentiae rationem continere: tum unam eandemque concipis utriusque essentiam, per quam & A & B existit, quo ipso nobis non eris contrarius; in ente enim perfectissimo inter essentiam & existentiam nulla realis est differentia §. 14; posita itaque una numero essentia, neque nisi unica existentia erit. Nec aliter, si per diversam numero essentiam quodlibet existere conciperetur, intelligi potest qua ratione A sufficienter per se ipsum, & simul tamen per B, & contra B per se ipsum & simul per A existeret. Duo hinc entia perfectissima eadem non dantur.

## §. XX.

**U**Num heic vel *unicum* dico, quod non agnoscit aliud secum specificè idem. Excludit unitas hæc pluralitatem entium ejusdem essentiae, numero tantum diversae

veræ. Seu eam supponit entis naturam, quæ in pluribus diversis individuis, sive separatim existentibus, aut sub variis iisque diversis, aut sub iisdem determinationibus existere non potest, adeoque nullum aliud ens a se diversum, secum in conceptu specifico conveniens agnoscit. Hæc Deo competit unitas. Una nimirum est essentia Divina eaque ita comparata, ut in eadem repetita seu sapius posita, plures a se invicem penitus distinctæ vel separatae substantiæ, quæ sic in conceptu specifico cum Deo convenire possent, esse nequæant. Pluralitas vero personarum in una eademque essentia, quæ a se invicem, suis characteribus realiter distinctis differunt, sive in sacris nobis revelata trias, rationi prorsus & quæ omnem partem ignota, hoc ipso non negatur.

#### §. XXI.

**D***eus est unicus.* Si plura fuerint entia perfectissima, vel eadem erunt vel diversa. § 17. Entia vero perfectissima diversa non dantur. § 18. neque eadem § 19. erit adeoque unicum § 20, hinc Deus, qui ens est perfectissimum absolute tale § 12. non nisi unicus est. At inquis forte: petit hoc ratiocinium suum robur atque fundamentum ex § 19. ibi vero prima imprimis, pro demonstranda propositione, quod nimirum plura entia perfectissima eadem dari non possint, allatum argumentum, ab omni prorsus dubio non est immune; e sacris literis enim meliora edoctus, novi in Divinis personarum dari trinitatem. Qualibet vero persona Deus est vi infinita atque potentia pollens; agunt etiam hæc, in omnem æternitatem divino prosequendæ cultu, non quidem ob imbecillitatem, sed essentiæ identitatem simul; non tamen vis atque potentia unius, operationem

D

nem



nem alterius excludit. Eo vero cum redeat totius argumenti nervus, ut evincat vim infinitam unam alteram excludere, sive pluribus viribus infinitis non dari locum, patet illud, utpote Scripturæ S. adversum, merum ingenii esse lulum. Hujus argumenti aliquam dat occasionem Celeber, Cantz. dum in eo occupatus est, ut per singula attributa Divina eundo, ne ullum quidem ad demonstrandam Unitatem Dei, nisi in subsidium vocato indiscernibilem principio, sufficere ostendat. At res est in salvo: sensus allati a nobis S. cit. argumenti hic est: Vis, quæ excludi concipitur, in actu secundo esse nequit, sed erit in primo; entis vero infiniti vis in actu primo nunquam esse potest, adeoque, si vis aliqua impeditur sive excluditur infinita esse nequit. Jam vero in nostra hypothese duæ ponuntur vires infinitæ, in subjectis inter se quidem iisdem, numero tamen diversis & a se invicem sejunctim existentibus. Vires ex infinitæ semper & in omnia agentes simul conciliari non possunt, ut ex dictis patet; excludatur itaque altera necesse est; cujus vero impeditur sive excluditur vis, infinitum esse nequit, S. 16. hinc nec duo infinita dari possunt. Modus vero quo operantur Trinitatis personæ, nobis quidem manet inexplicabilis. In quantum vero mysterium hoc intelligere datum est, statuimus personas divinitatis intercedere quidem differentiam realem, sed minorem illam, ex hoc nimirum, quod unice numero essentia, tribus vero in unica ea essentia characteribus realiter distinctis, subsistent; non vero majorem, quæ, inter plures substantias in essentiis numero diversis existentes, intercedere debet. Participant omnes tres personæ de essentia numero omniqve modo eadem, adeoque eadem quoque potentia;

tia; necessario inter se unitæ & inseparabiles sunt, agunt etiam simul non ob identitatem sed unitatem. Agunt tres divinitatis personæ, non ut tres Dii, sed ut unus Deus; non tribus diversis viribus, seu tripartita potentia, sed una vi unaque potentia divina atque infinita.

§. XXII.

**A**Tque his, quæ pro scopo atque ratione temporis breviter attulimus, unitatem Dei satis adstructam arbitramur. Id tantum ultimo heic addimus, absurdam de pluralitate Deorum hypothesin, omni prorsus destitui fundamento. Ascendimus a consideratione hujus universi ad notionem entis primitivi §. 6, contingentia hæc ubivis obvia nos ad ens deducunt necessarium §. cit. quod omnes, quotquot extra seriem hanc fuerint perfectiones, ipsum continet, adeoque infinitum, §. 7. perfectissimumque est. §. 8. 10. atque hoc ens illud est, quod Deum appellamus. §. 11. Ejus inseparabiles sunt perfectiones & inseparabilia prædicatâ; §. 14. Eo posito sisti potest quæstio: cur hæc jam sint, cur ita nec aliter existant. Ex omni parte infinitus ad omnia se extendit possibilis; præter ejus vim atque potentiam nihil est, cum auctorem atque principium omnis actualitatis veneranur; hinc absurdissimum foret plures, præter eum unum, fingere Deos. Quemadmodum igitur existentiam Supremi Numinis sana docet ratio, ita eadem nos quoque de unitate ejus convincit. Et facile quidem unitas hæc se mentibus nostris insinuat. Confusa namque entis perfectissimi notio, ideam unitatis sibi eoque habet adjunctam, ut ne illa quidem sine hac persistere possit. Non enim quidquam infinite perfectum nobis sistimus, nisi id tantis fulgeat perfectionibus, quibus ab omnibus aliis poterit distingvi: nisi omnes es-

[sa-



sentia suæ ambitu ita includat perfectiones, ut nihil eo ente dignum, extra illud deprehendi possit. Veluti extensum non dicimus maximum absolute seu infinitum, quod alterum sibi habet æquale, nec quo alterum majus est, ita nec ens appellamus infinite perfectum, quod sibi perfectionibus æquale aut majus agnoscit alterum: id solum, quod perfectiones continet omnes easque in summo gradu, ad quod alterū fastigium ascendere nequit, entis perfectissimi nomine nobis venit. Et licet nullo defuerint tempore pluralitatem Deorum admitentes, hos tamen omnes non eadem cepit dementia. Saniores etiam Ethnicorum non nisi unicum supremum agnoverunt Numen, omnium existentium fontem atque causam. Cui tamen uni summo Deo, alia inferiora ab ipso facta atque producta numina, subesse non negabant; quæ etiam coli svaderet eorum præ ceteris creatis nobilitas, atque juberet Summi Numinis supposita voluntas; hinc ea etiam tantum, ut ministros Dei universi conditoris, venerati sunt. Alii iterum ratione magis valentes, præter unicum Summum Deum, nullum alium agnoverunt, omnesque Deos gentilitios nihili habentes, ludibrio eos exposuerunt. Alii nimis curiosi, cum originem mali nullibi invenirent, eamque in Deum non transferendam intelligerent, duos sibi fingebant Deos, bonum unum alterum malum. Argumenta autem quæ pro Manichæismo pugnare videntur, ingeniosissime proposuit, non vero solvit Baylius, eamque ob causam, male audit. Existit quidem malum, neque tamen ejus causa Deus est. Actualitatis ratio nos quoque latet, possibilitas vero in ipsa essentiali limitatione creaturarum delitescit. Duos tamen Deos sive æquales sive inæquales sibi que semper contrarios etiam impossibiles esse ex dictis facillimè negotio patet; ut adeo hoc tantum nominasse sufficiat. Sit vero UNICO semper DEO laus gloria & honor sine Fine.



Clarissimo Dn. AUCTORI, Amico.

**Q**ua rationis rite exulta sit vis atque excellentia nunquam melius patescit, quam ubi ejus ope & adminiculo, ad summas & maxime arduas de aeterno Numine veritates atque infinitas perfectiones Creaturæ, ascendimus, cujus immensa bonitati cælesse hoc depositum acceptum ferimus. Tu Amice dilectissime nobilissima hac facultate recte usus, ejus ductu, unitatem supremi Numinis recto tramine atque felici successu evincis, veritatem omnino summam, sed altioris indaginis, cujus de certitudine vix nisi ex oraculis Divinis hucusque sibi gratulari potuerunt mortales: licet a multis retro seculis non defuerint, qui idem præstare conati sunt; quorum quod fundamentum, quæ sedes argumentorum sit, concinna brevitate ostendis. Ipsum vero, quod caput causa est, sic evolvis, ut vel hoc opere eruditionem, quæ in Te residet, ad oculum monstrares. In primis autem nobilissima animi facultates & rationis dotes exhibitæ, quibus supra annorum numerum ornatum explicas ingenium, hoc specimina eminent; Inter quæ singularem in inventiæ facilitate, in judicando vim & acutissimam, in argumentando ordinem atque rigorem nominasse sufficiat. Hæc omnia mihi inprimis fuere gratissima, qui ætissimo amoris nexu, vera virtuti Tuae innixi, inde a prima adolescentia Tecum conjunctus fui; quare, in fidei & amoris pignus ac monumentum, ex animo gratulor Tibi insigne hoc specimen, quo haud paucorum errores vicisti, plurimum autem recte sententiarum admirationem & amorem consecutus es: Gratulor Tibi præstantes ingenii dotes a faustæ natura concessas, industria atque optimis artibus solidè, scientiis expositas: Gratulor præcellentem eruditionem & præcipue insignes in disciplinis philosophicis profectus, quibus probe imbutum animum, ad quodcumque meditarii studium, maturam afferre potes: Gratulor denique Tibi honores in Philosophia summos, quibus ornatus, ad emolumentum Reipublicæ ac Tui Tuorumque desideria explenda properare atacius poteris; quo in cursu felices & inoffensos progressus Tibi ultimo animum, opto, immo polliceri audeo.

NICOLAUS AGANDER.

## Dilectissime Frater.

**N**on aliam ob causam Summus Univerſi Conditor hominem intellectu & ratione inſtructum eſſe voluit, quam ut hic opera ejus artiſticiſſima & pulcherrimum hoc mundi ſyſtema accuratius perluſtrans, Divina ejus manifeſtata in iis attributa perſpicacius intueri, horumque cum aliis infiniteſ ejus perfectiōnibus artiſticiſſimum nexum perſpicere poſſit. Hinc qui juſtum rebus ſtatuerē didicerunt pretium, quique vel tantillum rerum Divinarum, & innixa iis vera ſua felicitatis afficiantur ſenſu, neque in ampliſſimo ſcientiarum campo, ulum dignius ullumque praſtantius deprehendent argumentum, in quo hominis verſetur meditatio, quam ut Supremum Numen Divinaque ejus attributa ſedulo conſideret, ſcientiam hanc data opera excolat, etiam circa probationis via adſtruat & a dubiis diſſentientium rite vindicet. Illuſtratur hoc ipſo gloria Divina: obtinetur ſic ſuis, cui a Deo subordinatus eſt homo. Eſt vero ex numero attributorum Divinarum ejus quoque Unitas, qua neminem ſui ſimilem agnoſcit, qua in eo poſitus eſt ſaſtigio, ad quod accedere praeter eum poſeſt nemo. De hac Summi Numinis Unitate, alterum, quod jam prodit, Tuum Frater Dilectiſſime Specimen eruante diſſerit. Ita in explicando praſtantiſſimo hoc argumento verſatus es, ut quantum in Diſciplinis Philoſophicis profeceris, quamque ad rationis lancem quavis examinare didiceris cuique baud diſſiciliter pateat. Gratulor jam Tibi ex animo Tuos in litteris progreſſus, gratulor honores, quos eruditionis & virtutis Tuae premia, mox conſecuturus es. Vireſcent ſemper laurea quam Tibi jam neſſit Apollo. Cedant omnia in Ulmici Dei gloriam, Tuorum gaudium propriumque Tuum commodum. Vale!

*Fraterno animo adpoſuis*

SAMUEL KROGIUS.